

lia huc aduentavit, priusquam Güstrouii, principali tunc sede, ad Superintendentis in Dioecesi Rostochiensis officium solenniter esset introductus, D. MICH. SIRICII, quem Gießae ut praeceptorum veneratus est, successor factus. Inde in hac ipsa Academia destinata sibi professionem theologiceam adiit, antecessorem nactus D. AVG. VARENIVM, Theologum sui nominis et immortalem, et vergente ad finem anno, ut Facultati quoque suae assidere posset, Doctores gradu a longe sibi amicissimo viro, D. IVSTO CPH. SCHOMERO, aeternae memoriae Theologo, absque vllis fere sumptibus, quae summa viri maximi in hominem peregrinum liberalitas fuerat, ornatus est, (quo de negotio denuo noster alibi fusius,) subsequenti mox anno et loco ipsi in sacro Synedrio adscripto. Nec reticendum nobis est, inaeestimabilem quondam Herum suum GVSTAVVM ADOLPHVM Mecklenburgicum, cum paulo post primam de missa exercitationem publice ventilaret noster, solemnium pompa auditorium intrasse, differentemque per integras quatuor horas auscultasse. Eo vero maximo totius cum Ducatus luctu fati functo et deuoluto utroque principatu ad Serenissimum felicissimae nunc pariter recordationis DVCEM, FRIDERICVM GVILIELMVM, Ipsi et postremis temporibus Serenissimo Eiusdem Fratri, Duci, CAROLO LEOPOLDO Mecklenburgico, in iisdem officiis ad extrema usque deuotissimus permansit, ab utroque innumeris singularis gratiae signis et beneficiis adfectus. At qua fide et industria et Rostochii et Durlaci quondam per integros fere quinquaginta annos commissa sibi ab Augustissimis Prin-

Prin-